



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi Augustinus Europaeus
Perperam Dictus**

Wavre, Philippus van

Antverpiae, 1709

Cap. II. Secunda Ianseniana à S. Aug. revicta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39351

perumpat. Ità victrix, supra voluntatis arbitrium
ut non raro dicat (Aug.) hominem operanti Deo
per gratiam non posse resistere. &c.

CAPUT II.

Secunda Ianseniana in quo à Sancto Au-
gustino revicta monstratur.

SECTIO PRIMA.

Gratiæ interiori aliquando resisti osten-
ditur ex lapsu Apostoli Petri.

S. August.
Epist. 120.

De Grat. &
lib. arb.
cap. 17.

Tract 92.
in Ioan.

Petrus ex egregio presumptore tam creber nega-
tor effectus, ut loquitur S. Augustinus, cum
putavit se posse quod se velle sentiebat, procul-
dubio Christi gratiam habuit, quia Charitate
non caruit; Quamvis parva & imperfecta non de-
erat, quando dicebat Domino: Animam meam pono
pro te. Et quis istam etsi parvam dare ceperat Cha-
ritatem, nisi ille qui preparat voluntatem & coope-
rando perficit quod operando incipit? Quoniam ipse
ut Velimus operatur incipiens, qui volentibus coo-
peratur perficiens. Deseruit aliquantum Deus
unde superbiebat; & unde superbiebat gratiæ
resistebat. Plenam non habuit robustamque
voluntatem, quandò ancilla interrogatione
perterritus non potuit verum Testimonium perhi-
bère. Secutus est passurum, sed tunc non potuit
(plenè) sequi passurus.

Neque eum omnis Christi grtia destituit, dum
Christum negavit Nam si Christum non amasset non
negasset invitus. Verum si amplius non amasset, non
ali-

DE PROPOSITIONE II. 303

aliquatenus negasset . . . aut negare , aut mori necesse erat. Mori rimens negavit , negare nolebat , sed magis nolebat mori. Itaque invitus quidem sed negavit tamen , ne moreretur . . . lingua mota est contra voluntatem , sed numquid & mutata voluntas ? Quid enim volebat ? Prorsus quod erat , Christi esse Discipulus. Quid loquebatur ? Non novi hominem. Cur ita ? Mortem evadere volebat. Sed quid istud Criminis fuit ? Duas Apostoli tenemus voluntates. Unam quâ voluit non mori penitus inculpabilem. Alteram & multum laudabilem quâ sibi complacebat quod esset Christianus. In quo ergo culpatur ? An in eo quod mentiri quam mori maluit ? Hæc planè voluntas reprehensione digna fuit , quia Corporis magis quam anima voluit servare vitam . . . & peccavit ergo & non absque consensu propriae voluntatis , infirma quidem & misera sed planè libera. Peccavit autem non spernendo aut odiendo Christum , sed se nimis amando. Nec in hunc perversum amorem sui metus ille subitus compulit , sed esse convictus . . . Quatenus ergo Christum diligebat. Vim prorsus (quod negandum non est) passa est illa voluntas ut contra se loqueretur : Quatenus vero se amabat , voluntariè procul dubio consensit , ut pro se loqueretur.

S. Bern. de grat. & lib. arb. c. 9.

Inerat ergo Petro gratia , inerat & mutabilitas quâ posset in tentatione nutare. Et non ita perseverantiæ fuerat virtute solidatus , ut nullis periculis esset obnoxius. Siquidem tam gravis eum perturbatio concusserat , ut in Cai-
phe domo unius ancilla interrogatione pavefactus usque ad trinam negationem Christi (cui moriturum se sponderat) constantiâ deficiente perductus sit. Sicut Petrus ergo gratiæ restitit , sicut amorem Christi amore sui superavit , ita & alii sæpè resistunt & cadunt , deserunt & aliquandò deseruntur. Alioquin nemo unus fidelium recessisset à fide , neminem concupiscentia vinceret , neminem
tristi-

S. Prosper de Vocat. Gent. c. 28.

Serm. 124.
de tempore.

tristitia elideret, neminem iracundia debellaret, nullius Charitas refrigesceret, nullius patientia frangeretur, & collatam sibi gratiam nemo negligeret.

Tra 7. 72.
in Ioan.

Dices: Augustinus variis locis docet S. Petrum, dum Christum negavit, fuisse gratiâ desertum: *Quid est homo sine gratia, inquit, nisi quod fuit Petrus cum negaret Christum? Et, non impulit ad negandum, sed desertum reliquit; ut suam intelligeret imbecillitatem.* Unde etiam addidit idem Doctor, *Petrum non potuisse confiteri Christum: & quod plus ausus erat, quam ejus capacitas sustinebat.* Igitur gratiæ non restitit, utpote quâ caruit.

Resp. Petro quidem defuisse *potentissimam & efficacissimas vires præbentem, seu Victricem* defuisse gratiam, sed non omnem; nam si nullam habuisset, secum in illâ tentatione non pugnasset, & non invitus Dominum negasset. Non habuit quidem potentiam proximam & expeditam, quæ omnia ad actum inferendum desiderata complectitur; sed habuit potentiam remotam, quam nimis sui amore & timore mortis enervem reddidit. Solet autem Augustinus *per posse* intelligere plenum *posse*, quod non solum tribuit bonæ voluntatis affectum, sed etiam actionis effectum; signanter dum causam gratiæ defensat contra Pelagianos asserentes ad *velle & agere sine Dei gratia haberi plenum posse.*



S E C T I O II.

Interiori gratiæ aliquandò resisti ostenditur ex conflictu concupiscentiæ cælestem delectationem superantis.

Celebre est S. Hipponensis Præsulis acroâma Iprensi, ejusque defensoribus haud ignotum: Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est. Exinde concludit Augustinus: Manifestum est nos secundum id vivere quòd sectati fuerimus; sectabimur autem quod dilexerimus. Itaque si ex aduerso consistant duo, Præceptum justitiæ, & consuetudo carnalis, & utrumque diligitur, id sectabimur quod amplius dilexerimus. Si tantumdem, utrumque diligimus, nihil horum sectabimur, sed aut timore inuiti trahemur in alterutram partem, aut si utrumque aequaliter etiam timeamus, in periculo sine dubio remanebimus fluctibus dilectionis & timoris alternantibus quassati.

Consonat idem Doctor cum ait: Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius, quantum bonum sit, novimus, eoque delectamur ardentius. Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, que adjuvat voluntatem.

Dominus enim dat suavitatem beneficam. Et bonum fit cum id, quod male libet, vincente bonâ dilectione non fit. Non desunt suggestiones malæ, sed ex eo quod mente jungeris Deo vincis quod in te non vult sequi te. Condelector enim legi Dei, non de me sed de gratiâ Dei. Tanto autem magis diligitur Deus summum atque incommutabile Bonum, & Author qualiumcumque bonorum omnium.

Sed num omnes, quos Cælestis irrorat benedictio

In epist. ad Galat.

L. 2. de Pecc. merit. c. 11.

L. de Conturb. cap. 5.

in ps. 35.

Serm. 6. de Verb. Apost.

L. 2. de Pecc. merit. c. 17.

dictio dulcedinis, eò usque summi boni amore sic delectantur, ut non vincantur? Absit! Sunt enim qui dicunt: *Volumus, nec valemus implere* inquit Aug. De quorum numero erat, cui dicebat: *Fortè conaris ambulare & non potes, quia dolent pedes.* Ideò monet alibi: *Volo ut velis, sed non sufficit ut velis, adiuvandus es, ut plenè velis, & impleas quod velis.*

*De Persect.
Iustitia c. 4.
Tract. 34.
in Ioan.
Serm. 3. de
Verb. Apost.
cap. 8.*

Decertant in te duæ dilectiones. Modo interrogo te quid præponas? Quid te plus delectet, aurum, an veritas? Aurum, an verum testimonium? longum est per singulos corporis sensus excurrere.

*Serm. 17.
Verb. Apost.
cap. 4.*

Interroget & respondeat quid dictum sit, utrum sic delectetur iustitiâ, ut eam ceteris ad hos sensus corporis pertinentibus delectationibus anteponat.

cap. 5.

Ille qui vult facere Dei mandatum, & non potest; jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam, poterit autem cum habuerit magnam & robustam.

De illis qui parvam Charitatem, id est, bonam voluntatem acceperunt, pronuntiat Sanctissimus gratiæ Doctor quod cogente cupiditate resistere non possunt; adeòque gratiæ illi fortiter & efficaciter resistatur; nisi bona voluntas augeatur. Non autem sic augetur in omnibus voluntas spiritûs, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem vincat; ergò ipsa vincitur, adeòque interiori gratiæ apertè resistitur.

*L. 1. Retract.
cap. 15.*

Neque regeas Jansenium huiusmodi resistenciam non diffiteri: Quia Jansenius omnem Christi gratiam Medicinalem *invictissimam & potentissimam* non modò ad excitandum voluntatis affectum, sed & actionis effectum prædicat, eamque, cui resistitur, ad Legem revocat Gratiâque Pelagianam. Neque agnoscit per qualemcumque luctam fieri, ut viduetur Christi gratia beneficio effectûs ad quem datur, & sufficien-

DE PROPOSITIONE II. 307

ciens dicatur: nam omninò insufficientem dicit, ad cuius subsidium auctior desideratur, & quæ operis difficultati non attemperatur.

SECTIO III.

Interiori Gratia aliquandò resisti ostenditur ex eo, quod S. Augustinus omnem bonam voluntatem, boni delectationem, Charitatem Gratia Christi accenseat, et si effectu frustretur.

DE boni delectatione disertè pronuntiat Augustinus: Tunc bonum concupisci incipit, dum dulcescere incipit. . . ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, quâ fit ut merito nos delectet, ut cupiamus, hoc est amemus, quod præcipit nobis. In quâ si nos non prævenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis. L. 2. ad Bonif. c. 9.

De Charitate à Spiritu gratiæ promanante exertè dicit: Homo Pelagiane, Charitas vult bonum. Et Charitas ex Deo est, non per legis litteram, sed per Spiritum gratiæ. Et alibi: Unde est in hominibus Charitas Dei & proximi? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. Præmiserat: Gratia Dei semper est bona, & per hanc fit homo bonæ voluntatis, qui fuerat voluntatis malæ. Postea de efficaci quoad omnem effectum subjicit: Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas quæ jam adesse cæperat, augeatur, & tam magna fiat, ut possit implere mandata quæ voluerit, cum valde perfectèque voluerit. Sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. L. 1. op. post. cap. 139. De grat. Christi cap. 18. cap. 15.

308. LIBER TERTIUS

dictum est: DEUS EST ENIM QUI OPERATUR IN VOBIS VELLE. De Cooperante illo cum jam volumus & volendo facimus, scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

cap. 18.

Ut autem confirmet omnem bonam voluntatem profluere ex Deo, & ad gratiam Christi pertinere; *quasi verò, inquit, aliud sit bona voluntas quam Charitas, quam scriptura nobis clamat esse ex Deo. Et libro 2. ad Bonifac. cap. 9. Quid est boni cupiditas, nisi Charitas, de qua quoque Joannes Apostolus sine Ambiguitate loquitur dicens: CHARITAS EX DEO EST.*

*De gratia
Christi
cap. 47.*

Janfenium ergò percunctor hoc dilemmate: vel omnis bona voluntas & inchoata seu parva etiam Charitas ex Deo est & Christi gratia est, (nam de hâc Augustinus agit) & vincit Pelagianos, sed propriò se mucrone confodit: quia talis charitas effectu operis sæpè viduatur, adeòque illi resistitur; vel non est Christi gratia, & vicere Pelagiani, qui & inchoatam & perfectam bonam voluntatem Christianæ Gratix invidèrunt. Quàpropter ad Gratiam tam bonæ voluntatis, quam actionis confitendam eos premit S. Augustinus: *Si consenserit (Pelagius) ipsam quoque bonam voluntatem & actionem, id est, ut benè velimus, & benè agamus, divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil benè velimus & agamus, eamque esse gratiam Christi, nihil de adjutorio gratiæ Dei inter nos controversiæ remanebit.*

Quod si quis ex me sciscitetur, cur Augustinus bonam voluntatem & actionem contra Pelagianos disputans frequenter conjuget? Respondeo id non eò studiò factum, ut evincat omnem Christi gratiam & bonâ voluntate & actione potiri; sed ut ostendat bifariam esse Christi gratiam, sine cujus ope ac virtute nec benè velle vel tenuiter possumus, nec operari. Utrumque enim

DE PROPOSITIONE II. 309

enim solis voluntatis viribus, seu liberi arbitrii
 lacertis obtinere posse Pelagiana præsumptio
 jactabat. Nam de Pelagii dogmate attestatur S.
 Augustinus: Scire debemus, quod nec voluntatem
 nostram, nec actionem divino adjuvari credit auxi- cap. 5.
 lio, sed solam possibilitatem voluntatis atque operis,
 quam solam in his tribus nos habere affirmat ex
 Deo. Ratio hujus erat: Quia nisi natura esset,
 in quâ nos condidit, quâ velle & agere possumus, nec cap. 6.
 vellemus, nec ageremus.

Et cum invidiam abnegatæ gratiæ à se amo-
 liturus Pelagius diceret: Adjuvat nos Deus per
 doctrinam & revelationem suam, dum cordis ocu- cap. 7.
 los aperit, dum nobis ne presentibus occupemur fu-
 tura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum
 nos multiformi & ineffabili dono gratiæ celestis
 illuminat;

Respondet Augustinus: Hinc itaque apparet cap. 8.
 hanc eum gratiam confiteri quâ demonstrat & re-
 velat Deus quid agere debeamus, non quâ donat at-
 que adjuvat, ut agamus: cum ad hoc potius valeat
 legis agnitio, si desit gratiæ opitulatio, ut fiat
 mandati prævaricatio.

Et rursus Pelagio illud Apostoli: Deus est
 enim qui operatur in vobis velle & perficere, sic ex- cap. 9.
 ponente: Operatur in nobis velle quod sanctum est,
 dum nos terrenis cupiditatibus deditos & mutorum
 more animalium tantummodo presentia diligentes
 futura gloriæ magnitudine & præmiorum pollicita-
 tione succendit; dum revelatione sapientiæ in desi-
 derium Dei stupentem suscitât voluntatem; dum
 nobis, quod tu alibi negare non metuis, suadet om-
 ne quod bonum est; Respondet Idem Doctor:
 Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam
 quâ Deus in nobis operatur velle quod bonum est,
 quem legem atque doctrinam? In lege namque, &
 doctrina Sanctarum Scripturarum futura gloriæ

310 LIBER TERTIUS

atque præmiorum promittitur magnitudo : ad Doctrinam pertinet etiam quod sapientia revelatur : ad doctrinam pertinet cum suadetur omne quod bonum est. Sed nos eam gratiam volumus iste aliquando fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur & speratur, nec solum revelatur sapientia, verum etiam & amatur; nec suadetur solum omne quod bonum est, verum & persuadetur.

*L. de Perfect.
Justitia c. 6.*

*De nat. &
Grat. c. 70.*

*S. Propper
de Vocat.
Gent. c. 11.*

En Augustinus Christi gratiam censet, quâ fit ut diligatur sapientia. Non omnis autem sapientiæ dilectio tam fortis est, ut illi non resistatur. Peccatur namque, teste Augustino : Dum Charitas minor est quam esse debet. Et numquid inchoata Charitas, inchoata justitia est? Charitas profecta, profecta justitia est? Charitas magna magna justitia est? Cui concinit discipulus his verbis : Donum quippe ipsius Charitatis non semper ejusmodi est, ut quidquid ad plenitudinem ejus pertinet, simul à percipiente sumatur. Est enim amor qui potest alio amore superari, & saepe dilectio Dei ex mundi dilectione marcessit. Et de his qui aliquid de gratiæ dulcedine percepêrunt pronuntiat : Inebriati tamen aureo Babylonis calice delectantur, suo prorsus decipiuntur arbitrio, suâ voluntate labuntur.

Denique cum non deserat Deus justum nisi deseratur; profluit hæc consecutio, quod inspiratæ bonæ voluntati, Charitati aliquando resistatur.



SEC

SECTIO IV.

*Cornelij Iansenij pro non resistantia
Gratiae deducta ex S. Augustino
argumenta diluuntur ex ipso.*

ARGUMENTUM PRIMUM.

Augustinus vocat gratiam efficacissimam, si
guanter de Pauli conversione disserens, ut Aug. l. de
autem vocaretur, & tam magna & efficacissima Grat. & lib.
vocatione converteretur, gratia Dei erat sola. Et arb. c. 5.
in eundem sensum inferius, ille facit ut faciamus,
prebendo vires efficacissimas voluntati. Et aliquan-
do, hanc gratiae efficaciam cum perniciosi hominis
voluntate collidit, & omni humanam aversione ac
perniciam superiorem facit. Aversus quippe à fide, De Prædest.
quam vastabat (Paulus) eique vehementer adversus cap. 2.
repente est ad illam gratiam potentiore conversus?
Jans. lib. 2. de grat. Christi Salv. cap. 24.

CONFUTATIO.

Exerit quidem frequenter potens & Misericors
Deus mirabiles suae operationis effectus, &
quibusdam mentibus non expectat à profectuum mo-
râ totum simul quidquid collaturus est, invehit. Mul-
to tamen crebrior, multoque numerosior pars illa ho-
minum est, cui particulatim, quidquid superna lar-
gitas donat, accrescit, inquit S. Prosper de voc.
Gent. cap. 11. Quod similitudine illustrat: Sicut S. Prosper.
enim in seminibus herbarum atque lignorum quae
terra producit, non una species nec unum in omnibus
genus est, sed singula quaeque in sui seminis formam
& in stirpis suae qualitate gignuntur: Plenum au-
tem decorem non statim ut eduntur, accipiunt,
sed certis & ordinatis provebuntur augmentis, do-
nec ad perfectam sui habitus quantitatem, per suc-
ceden-

cedentia sibi incrementa perveniant : ita & semina Charismatum plantaque virtutum non in omni agro cordis humani totum hoc pariter quod sunt futura nascuntur : nec facile reperitur in exordio maturitas , & in inclinatione perfectio.

Quod vel ex ipsis locis , è quibus Jansenius impossibilitatem aliquorum præceptorum , licet perperam , elicit , elucescit , signanter in ps. 6. & 106. Ubi Augustinus delineat hominem divinâ gratia excitatum , cum morbis suis , idest , difficultatibus inolitorum vitiorum luctantem , & , *velut murum impossibilitatis sibi oppositum autumantem.* Nam qui tales sunt non modò obluçantur gratiæ pugnando , sed sæpè occumbendo priusquam plenâ sui victoriâ potiantur.

L 8. Conf.
cap. 5.

Et nonne Augustinus ipse Medicinalem Christi gratiam sentiebat , quandò dicebat : *Voluntas autem nova , quæ mihi inesse cœperat , ut te gratis colerem , fruique te vellem . . . nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam ? Iste duæ voluntates meæ una vetus , alia nova , illa carnalis , illa spiritualis confligebant inter se , atque discordando dissipabant animam meam.*


Et numquid resistebat in eo quod de se ipse referebat : *Cogitationes quibus meditabar in te , similes erant conatibus expergisci volentium qui tamen superati soporis altitudine remerguntur ?*

cap. 7.

An Christi gratiam non hauserat quandò orabat : *Da mihi Castitatem & continentiam ; sed noli modò ; timebam enim ne me citò exaudires.*

cap. 9.

Dei gratiâ donante volebat ire in placitum & pactum cum Deo : sed & erat , qui nolebat & resistebet , quia non totus assurgebat , veritate sublevatus , consuetudine prægravatus.



ARGUMENTUM II.

Hanc efficacissimam potentissimamque, hanc ineffabilem & omnipotentissimam potestatem in eo exeri super voluntatem docet, quod ita à Dei Spiritu per gratiam RAPIATUR ET AGATUR, ut ipsamet voluntas vix agere intelligatur. Quod nisi Augustinus ipsemet exerte declarasset, numquam ausus fuisset voce aut calamo proferre. Procul dubio, inquit Augustinus, plus est agi quam regi. Qui enim regitur aliquid agit & à Deo regitur, ut aliquid agat, qui autem agitur agere aliquid vix intelligitur; Et tamen tantum præstat gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere: quotquot spiritu aguntur hi sunt filii Dei. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quam ut illi se AGENDAM commendet, qui malè agere non potest. Quæ causa videtur, cur isto verbo Apostolico, quo voluntas vel nos agi à Spiritu Dei dicimur perlibenter & frequenter utatur Augustinus. Profecto ut agant quod bonum est, ab illo aguntur qui bonus est. Et ad Bonifacium: „ quis ambulat secundum Spiritum, nisi quisquis agitur Dei Spiritu?

Aug. de Gest.
Pelag. c. 3.

De Gratia
Christi c. 25.

CONFUTATIO.

Nec Apostolus, nec Augustinus dicit homines per gratiam rapit sed agi. Et quamquam per illam vocem agi voluntas vix agere intelligatur; aliundè tamen probat Augustinus quod verè ac liberè agat voluntas à Spiritu Dei Acta. Aguntur, inquit, ut agant, non ut ipsi nihil agant. „ Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus. Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntari. Quid est ergò agere, nisi per vires efficacissimas adjuvare? Cum dicit faciam ut faciatis, quid aliud dicit, nisi auferam cor lapideum unde non faciebatis, & dabo vobis cor carneum, unde faciatis?

S. Aug. de
Correp. &
Grat. c. 2.
De Grat. &
L. arb. c. 16.

De gratia
Christi c. 26.

Imò

Imò in ipso loco primitus objecto Augustinus exprimit voluntatem sic agi, ut agat verbis his: *Et hoc cum fecerit, ab illo se, ut faceret, adjutam non dubitet.* Exponit enim illud Apostoli: *Deus operatur velle & operari*: non quia nos non volumus, aut nos non agimus: sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus. Et quia adjutorium illud in Lege atque Doctrina Pelagius ponit, quâ homo regitur, ut benè agat, reponit Augustinus plus est agi quam regi; Apostolus autem ait: *quotquot Spiritu Dei aguntur, &c.*

Serm. 13. de
Verb. Apost.
cap. 11.

Quod autem hujusmodi raptum non agnoscat Augustinus, quò fiat ut voluntas vix agere intelligatur, claret ex objectione velut nomine Pelagianorum INTORTA, quam solvit aliò locò: *Dicit mihi aliquis, ergo AGIMUR, non AGIMUS.* Respondeo inquit, *imo agis, & ageris.* Et tunc bene agis si à bono agaris. *Spiritus enim Dei qui te agit, AGENTIBUS ADJUTOR EST.* Ipsum nomen ADJUTORIS præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis. *Agnosce quid possas, agnosce quid confitearis quando dicis; ADJUTOR MEUS ESTO, ne derelinquas me. . . Nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur.* Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei, non littera sed Spiritu, non lege præcipiente, minante, promittente, sed spiritu exhortante, illuminante, adjuvante. Scimus, inquit Apostolus, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Si non esses Operator, non esset Cooperator.

cap. 12.

Et capite sequenti confirmat solutionem argumenti, quo contendebatur voluntatem actam à Spiritu Dei, non agere: *Prorsus hoc credite, sic vos agere bona voluntate. Quia vivitis utique, agitis; non enim ADJUTOR est ille, si nihil agaris. Non enim cooperatur, si nihil operamini.* Sic tamen vos scitote agere bona, ut sit Rector Spiritus & ADJUTOR, qui si defuerit, nihil omninò boni agere valeatis.

Jam

DE PROPOSITIONE II. 315

Jam nunc cum auditis : *Quotquot Spiritu Dei aguntur hi sunt filij Dei*, nolite vos dimittere. Neque enim templum suum sic de vobis *adificat Deus quasi de lapidibus* (en simile quid raptui) qui non habent motum suum; levantur, ab exstructore ponantur. Non sic sunt lapides vivi. Sed vos tamquam lapides vivi *coadificamini in templum Dei*. Ducimini, sed currite vos. Ducimini, sed sequimini, quia cum secuti fueritis, verum erit illud, *quia sine me nihil potestis facere*.

Cur ergo inquires, Augustinus librò de Gestis Pelagii dicit quod voluntas à Spiritu Dei acta, vix agere intelligatur?

Resp. Quia respicit ad hanc vocem *aguntur* solam, quæ vix indicat aliquid actionis; eòquod Pelagius nullam gratiam activam admitteret, assereretque : *Omnes propria voluntate regi*. Hunc refutat Apostolicò Testimoniò : *Quotquot Spiritu Dei aguntur*. Plus est enim *agere*, quam *regi*. Qui enim regitur aliquid agit, & ideo regitur, ut rectè agat. Qui autem agitur, aliquid ipse vix agere intelligitur. Exinde concludit : Quod si voluntas à Spiritu Dei agenda sit, multò magis regenda. Sed hanc locutione ne calumniæ causam daret : *Quomodo agunt si aguntur?* Ostendit in sequentibus quod qui aguntur verè agunt, Quod alibi repetit : *Agis si ageris, & bene agis, si à bono ageris*. Si autem Spiritu Dei aguntur, pugnant, quia *Magnum habent Adjutorem*. Et rursus : *Quicumque aguntur Spiritu Dei, ipsi facta carnis mortificant Spiritu*.

De Gestis Pelagij c. 3.

Serm. 43. de Verbis Domi.

L. 6. cont. Iul. c. 24.

Et ad Bonifacium : *Qui ambulat secundum Spiritum, nisi quisquis agitur Dei Spiritu?*

L. 3. ad Bon. cap. 2.



A R.

ARGUMENTUM III.

Sanctus Augustinus non raro Christi gratiam *Victricem* appellat, & qua omnes oppositos obices voluntatum & affectuum invictâ potestate perumpit, Charitatemque infundit, cujus delectatione vincitur delectatio peccati.

CONFUTATIO.

ALiqua *Victrix* est Augustino, & aliqua fortiore delectatione terrenâ vincitur. Alioquin justorum nemo gratiæ munimine fultus à Concupiscentia suâ abstractus & illectus succumberet, nemo Deum desereret & deserere mereretur. Cum de perseverantia agit Augustinus, docet per eam bonum *invictissime* quidem teneri; at non omnis Christi gratia hoc nomine gloriatur. Datur illa finaliter, sed solis prædestinatis in regnum Dei. Et sic Deo volenti Salvum facere nullum hominis resistit arbitrium.

ARGUMENTUM IV.

Gratiam Dei Augustinus ita *victricem* statuit supra voluntatis arbitrium ut non raro dicat hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere. Hoc probat Jansenius ex libro de *Corrept. & grat.* c. 14. Ubi Augustinus dicit voluntati Dei humanas voluntates resistere non posse, quo minus faciat ipse quod vult. Jans. lib. 2. de gratia Christi Salv. cap. 24.

CONFUTATIO.

Vel hoc Jansenii dictum gratiæ applicatur, quasi homo resistere illi non possit, & tum evicta est ista damnata: *Gratiæ interiori numquam resistitur*, aut ista: *Sufficit libertas à coactione ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ*; aut Deo per gratiam operanti, & tunc impertinens est ad Commendam *victricem*
gra-

DE PROPOSITIONE II. 317

gratiam quasi omnipotentissimam. Nam de voluntate Dei ad inclinandas hominum voluntates loquitur Augustinus etiam, ubi gratia non est victrix, sed potius gratia deesse videtur, scilicet in operibus malis. Cui enim nisi hospiti in Augustino, non est exploratum quantum inclinandorum malorum cordium Deo tribuat potestatem? *Quis non ista iudicia, inquit* S. Aug. de divina contremiscat; quibus agit grat. & lib. Deus in cordibus etiam malorum hominum quicquid vult, reddens eis tamen secundum merita eorum? Et recensitis exemplis, concludit: His & talibus Testimoniis divinorum eloquiorum, quae omnia commemorare nimis longum est, satis, quantum existimo, manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia sive ad mala pro meritis eorum, iudicio utique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem iusto.

Posse autem gratiae interiori, sed parvae resisti in sensu composito, liquet ex praecedentibus. Posse resisti saltem in sensu diviso, Augustinus nequitiam inficiatur, utpote qui impeccabilitatem ad statum Patriae transfert. Unde & S. Prosper de Deo loquens ait: *Qui ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, ut etiam à perseverantibus illam mutabilitatem, qua potest nolle non auferat.* S. Prosper de Voc. Gen. cap. 28.

ARGUMENTUM V.

Augustinus ex gratia mox effectum operis consequutum inferre solet: sic enim loquitur de pugna contra tentationes. . . *Jans. l. 2. de grat. Chr. c. 25. Agis, si ageris, & bene agis, si bene agaris. Et lib. 6. cont. Jul. c. 14. Quicumque aguntur Dei spiritu, ipsi facta carnis mortificant.*

CON-

318 LIBER TERTIUS
CONFUTATIO.

SAnctus Augustinus agit tum de gratia usque-
quaque efficaci & forti, quæ operatur juxta
Apostolum *velle & perficere*. Constat enim
exemplò ipsius conversionis, & aliorum,
qui licet continentiae desideria habeant, reipsâ
tamen facta carnis nondum mortificant; quin
potius à carne superantur, eò quod magis lubeat
verus inolitum, quam novum insolitum.

ARGUMENTUM VI.

Sicut Augustinus hoc ipso, quo data est gratia,
colligit effectum; sic è contrario negative sub-
inde Ratiocinando docet, hoc ipso, quo effectu homo
desistitur, nullam ei gratiam collatam esse, sed
solo Pelagiana gratia adjutorio, hoc est, lege do-
ctrinâque ad operationis præcepta fustitiam niti.
Quod probat Jansenius ex libro de gratia Christi
cap. 14. ubi Augustinus in hunc modum disserit:
*Qui novit quid est quod fieri debeat & non facit,
nondum à Deo didicit secundum gratiam, sed se-
cundum legem, non secundum Spiritum, sed se-
cundum litteram. Item: De isto docendi modo (per
gratiam) etiam Dominus ait: Omnis qui audit
à Patre & didicit, venit ad me. Qui ergo non ve-
nerit, non de illo rectè dicitur, audit quidem &
didicit sibi esse veniendum, sed non vult quod didi-
cit. Prorsus non rectè dicitur de isto docendi münere,*
I. de Grat. quo per gratiam docet Deus. Similiter in eodem
Chr. c. 14. libro loquitur: Quando Deus docet non per legis
cap. 13. litteram, sed per Spiritus gratiam, ita docet, ut
quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo vi-
deat, sed etiam volendo appetat, agendoque persi-
ciat. Vide & lib. de Prædest. SS. c. 8.

CON-

CONFUTATIO.

Augustinus refutat Pelagianam gratiam seu doctrinam quâ simpliciter cognoscitur, quid agendum sit, sed non diligitur, quam doctrinam docebat Pelagius sufficere ad Christum sequendum. Contrâ docet Augustinus requiri doctrinam, quâ non modò cognoscitur, sed *volendo* appetitur & agendo perficitur, dum nempe didicerit perfectè, ut reipsâ illum sequatur. Sic itaque docet non manare à Legis Littera quod quis Christum sequi velit, & sequatur, sed ab interioris Scholæ Doctrina quâ voluntas ipsa trahatur. Et si non veniat, nec venire velit, in solo Pelagianæ gratiæ adjutorio permaneat. Dico itaque juxta S. Augustinum etiam illum, qui vult Christum sequi, & nondum sequitur, non esse Medicinalis gratiæ exortem: nam ipsa conversionis primordia Christianæ gratiæ accensenda sunt: nec tantùm sub eâ ratione quâ effectum bonæ voluntatis sortiuntur, sed etiam quatenus potestatem tribuunt ad effectus quos non consequuntur propter obiectos obices. Nam qui inchoatam bonam voluntatem v. g. continendi accepit, majori potestate donatus est ad continendum, quàm si solâ legis litterâ instructus est, quia *virtus peccati lex*. Quapropter Augustinus neutiquam gratiam quæ effectum operis largitur opponit gratiæ inefficaci ad illum & efficaci quoad bonam voluntatem (cùm non sit controversia ista cum Pelagio) sed gratiæ Pelagianæ, idest legis atque doctrinæ adjutorio: quæ cum non faciat nisi cognoscendo spectare quid agendum sit, nemo per eam didicit, quia nec perfectè nec imperfectè ad Christum venire potest: idest, nec *volendo* appetere, nec *agendo* perficere. Proinde per-

320 LIBER TERTIUS

*Jans l. 10. de
Grat Christi.
cap. 7.*

perperam ex Augustino concludit Jansenius :
*Quidquid sufficientis gratia. .præter istam agendi
gratiam excogitatum est , hoc totum Augustino ad
legem pertinet.*

Neque pertimescendum , ut ipse retur, ne
discrimen gratiæ naturæ stantis & lapsæ subrua-
tur , si aliqua sufficiens sed simul efficax admit-
tatur : nam gratia Thomisticè-sufficiens infal-
libiliter , & efficaciter velle operatur , quod
Adamæa non præstitit. Et si effectum ulteriorem,
ad quem dat posse , conlqueretur , quod fieret
si obices abscederent , id magis gratiæ quam li-
bero arbitrio tribuendum foret.

Prætereà homini stanti & ad posse & ad agere
sufficiebat illa gratia , sine qua non , sive nulla
alia ad ipsam perseverantiam erat necessaria ;
Præter hanc autem sufficientem ad perseveran-
dum singulare perseverantiæ donum efflagitur.

